

tans, eos ad strenue atque fortiter pugnandum ita adhortabatur.

«Quae tristitia, milites, haecque insolita cunctatio est? Hostem, an me, an vos ignoratis? Hostis est quid aliud, quam perpetua materia virtutis gloriaeque vestrae? Vos contra, me duce, (ut Falerios Vejosque captos, et in capta patria Gallorum legiones caesos taceam), modo trigeminae victoriae triplicem triumphum ex his ipsis Volscis et Aequis, et ex Etruria egistis. An me, quod non dictator vobis, sed tribunus, signum dedi, non agnoscitis ducem? Neque ego maxima imperia in vos desidero: et vos in me nihil, praeter me ipsum, intueri decet. Neque enim dictatura mihi unquam animos fecit, ut ne exilium ademit. Iidem igitur omnes sumus: et quum eadem omnia in hoc bellum adferamus, quae in priora attulimus, eundem eventum belli exspectemus. Simul concurreritis, quod quisque didicit ac consuevit, faciet. Vos vincetis, illi fugient.»

V. ORATIO M. POPILII CONSULIS,
qua suos milites adhortatur.

Ex Lib. VII, cap. XXIV.

Scipione consule morbo implicito, M. Popilio collegae ex plebe bellum permissum erat adversus Gallos, qui jam in agro Latino castra fixerant. Victoria belli ejus jam ad Romanos inclinata erat, quum consulis laevus humerus machaera prope trajicitur. Eo vulnere permoti languidique milites facti, jam propemodum certam victoriam amiserant, quum consul, alligato vulnere, ad prima signa progressus, in haec verba militem adhortabatur.

«Quid stas, miles? non cum Latino Sabinoque hoste res est, quem victum armis, socium ex hoste facias. In belluas strinximus ferrum. Hauriendus, aut dandus est sanguis. Propulistis a castris, supina valle praecipites egistis, stratis corporibus hostium superstat. Complete